

at multiplicatio per divisionem & viceversa divisio per multiplicationem confirmetur.

*Schol.* In hoc capite frequens fuit mentio de quantitibus negativis, quarum genuinam notionem paucis iterum explicare non abs re erit. Si duæ quantitates magnitudine æquales, ad partes directe oppositas simul & in eodem subiecto conjunctæ intelligantur, sese mutuo destruunt, illarumque effectus nihilo æqualis est. Ita si potentia duæ æquales in partes directe oppositas agunt, virium illarum effectus nullus est. Pari modo si aliquis habeat 100 nummos, totidemque alteri debeat, jam illi 100 nummi, si ad hujus hominis possessionem referantur, pro nihilo considerari debent. Si autem quis 100 nummos habeat & 200 alteri debeat, jam possessio hujus hominis negativa est, & ut ita dicam, nihilo minor. Si aliquis ad propositum locum iter facturum, ad partem directe oppositam progrediatur, jam hujus hominis iter tanquam negativum & minus nihilo haberi debet, si ad finem propositum referatur. Igitur probe tenendum est quid intelligatur per quantitatem negativam & nihilo, ut dicunt, minorem. Quantitas negativa non minus realis est, quam quantitas positiva; sed nihilo minor dicitur ratione effectus tantum & relative, non autem absolute. Hunc loquendi modum a nonnullis usurpatum ita explicavimus, ut nihil difficultatis tyronibus facessere possit.